



Hermannus à teneris annis sacris literis operam dedit, atq; ob fœlix ingenii breui egregius Theologus factus est. Itaq; præpositus S. crucis non procul à Hildesheim constitutus est. In ea functione talem sese exhibuit, ut ab omnibus diligenteretur. Itaq; postea 23. præful Hildesheimensis factus est. Erat autem pietate & doctrina conspicuus, præterea insigni eloquentia & prudentia præditus. Itaque Germaniæ principes in grauissimis causis eum saepius Legatum ad Fridericu Barbarossam Cæsarem miserunt, apud quem in magna authoritate & existimatione fuit. Cū hoc modo diu suæ ecclesiæ optimo exemplo præfuisset, tandem religionis causa Hierosolymam proficiisci statuit. Verum cum alijs in maris tempestibus naufragium passus, solus ferè in ruderibus nauis hæres ad littus peruenit. Inde nihilominus Hierosolymam contendit, & in itinere mendicando uictum quæsiuit, 1177. Ibi à fratribus cognitus, & honorifice exceptus fuit, qui ipsum liberaliter persecuti & commeatu & pecunia iuuerunt, ut ad suos redire posset. Verùm cum uotum soluisset, & in Italiam rediisset, anno decimo tertio sui Episcopatus moritur. Anno.

Crantz.